AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 103v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



libri huius indicat finem. sed narratur hic deinde quem admodum se manifestaue
rit dominus ad mare tyberiadis. In incaptura piscium commendauerit ecclesie sacra
mentum qualis futura est ultima resurrectione mortuorum. Ad hoc itaque com
dandum ualere arbitror quod tamquam finis est intentus positus libri. quod esset etiam secu
ture narrationis quasi premium. quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum.
Que narratio incipit ita. Postea manifestauit se iterum ihesus ad mare tybe
riadis. Manifestauit autem sic. Erant simul petrus et thomas qui dicitur didimus.
et nathanael qui erat a galilea. et filii hebedei. et alii ex discipulis eius duo.
Dicit eis symon petrus. Vado piscari. Dicunt ei. Venimus et nos tecum. Queri solet
de hac piscatione discipulorum. utrum redierint petrus et filii zebedei ad id
quod prius fuerant. quam a domino uocarentur. Erant enim piscatores. quando eis dixit.
Venite post me. et faciam uos piscatores hominum. Tunc eum quippe illi secuti
sunt ut magisterio eius relictis omnibus adhererent. in tantum ut cum abeo diues
ille tristis abscederet cui dixerat uade et uende quae habes et da pauperibus
et habebis thesaurum in celo. et ueni sequere me. diceret ei petrus. Ecce
nos dimisimus et secuti sumus te. Quid est ergo. quod nunc quasi apostolatu relicto fiunt
quod fuerunt. et quod dimiserant repetunt tamquam obliti quod audierant. nemo po
nens manum superaratrum respiciens retro aptus est regno celorum. Quod si fecissent
defuncto ihesu prius quam resurrexisset a mortuis quod quidem non potuerant. quomodo dies
qua crucifixus est totos eos tenebat attentos usque ad eius sepulturam quae ante
uesperam facta est. sequens autem dies erat sabbati quando eis patrium morem
seruantibus operari utique non licebat. tertio uero die dominus resurrexit eosque reuoca
uit ad spem quam de illo non habere iam ceperant. tamen si tunc fecissent putaremus
eos illa quae animos eorum occupauerat desperatione fecisse. Nunc uero postquam eum
sibi redditum de sepulchro uiuum. postquam oblatum suis oculis et manibus non solum
uidendum uerum etiam tangendam atque palpandam rediuiue carnis euiden
tissimam ueritatem post inspecta uulnerum loca usque ad apostoli thome confes
sionem qui se aliter crediturum non esse predixerat. postquam acceptum eius in sufflatione
spiritum sanctum. post uerba in suas aures eius ore prolata. sicut me misit pater et ego
mitto uos. quorum remiseritis peccata remittuntur eis. et quorum retinueri
tis retenta sunt. subito fiunt sicut fuerunt. non hominum sed piscium piscatores.
Ais ergo quis hoc mouet respondendum est. non fuisse arte sua prohibitos licita
scilicet atque concessa uictum necessarium querere sui apostolatus integritate conserua
ta. si quando unde uiuerent aliud non haberent. nisi forte quispiam putare aude
bit aut dicere apostolum paulum non pertinuisse ad eorum perfectionem qui relictis omnibus christum
secuti sunt. quomodo nequaquam eorum grauaret quibus euangelium predicabat suum uictum
manibus transigebat. ubi magis impletum est quod ait. plus omnibus laboraui
et adiunxit. non autem ego sed gratia dei mecum. ut hoc quoque appareat gratie dei deputan
dum. quod et animo et corpore potuerat usque adeo plus illis omnibus laborare

omia